



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 38. Fundatio Burgholziensis Collegii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. se extendere ad omnes Germaniæ Ec-  
 A. C. 1725. clesias, illud vero in P. W. tam quoad  
 immediatas, quam mediatas restringi,  
 adeo ut illud nemo exercere queat, ubi  
 ante annum decretorium illud non exer-  
 cuit; hoc tamen verbum *exercuit*, non  
 de actuali exercitio, sed de facultate  
 exercendi intelligendum esse, quia hoc  
 jus non est quotidianum, sed discon-  
 tinuum, quod quamvis vel ob de-  
 fectum occasionis, qua exerceretur,  
 vel ob alias causas non fuisset exerci-  
 tum, salvum tamen illud maneat, dum-  
 modo jure ita exerceri potuisset, ut  
 nullus in jure & possessione illud pro-  
 hibendi fuerit &c.

## §. XXXVIII.

*Fundatio Burgholziensis Collegii.*

*Meichlb. t. 2.  
 Insr.*

Jam olim Joannes Baro de Frauen-  
 berg Imperialis urbis Haagæ Do-  
 minus annuente Alberto Bavarix Duce  
 in Parochia Schwindaviensi Capitulum  
 seu Ecclesiam Collegiatam S. Wolfgangi  
 ad Burgholzium pro sex Canonicis e-  
 jusque Præposito fundare decreverat;  
 Tum temporis tamen hujus propo-  
 fiti executionem præpediebant ingruen-  
 tes belli tumultus, aliæque causæ.  
 Tandem vero hoc anno R. D. Casparus  
 Fichtner Schwindaviensis Parochus,  
 ut



ut D. Wolfgangi cultum, & animarum salutem promoveret, præter quinde- Sæc. XVIII.  
 cim florenorum millia suas ædes & A. C. 1725.  
 hortum *pro perpetua dote in optima forma juris* cessit, ea lege, ut præter tres Canonicos ex redditibus Ecclesiæ S. Wolfgangi alendos adhuc alii tres unacum suo Præposito ex censibus quindecim millium florenorum sustentarentur. Hac super re tam Maximiliani Emanuelis, quam Caroli Alberti Baviaræ Electorum consensum, & licentiam, necnon Joannis Francisci Frisingensis Episcopi approbationem obtinuit, & pro his Canonicis, quos præsentandi jus Episcopis Frisingensibus competeret, hoc anno die 19. Junii sequentia præscripsit statuta. I. Ut non suscipiantur, nisi quos vel Universitas vel celebre quoddam Gymnasium testatur iis moribus & scientiis præditos, ut ad curam animarum approbari, & præclara proximo obsequia præstare valeant. II. Ut Curam arbitrio Parochi Schwindaviensis exercent, & sub ejus directione vivant, eique tanquam Rectori omnes Missas, quas vocant *votivas*, necnon fidelium oblationes tradant. III. Ut Communiter in ædibus, quilibet tamen in separato cubiculo vivant, & communi mensa fruantur. IV. Ut veste longa Clericali utantur, O tur,

*Hist. Eccles. Tom. LXXII.*



Sæc. XVIII.  
A. C. 1725.

tur, uti præscriptum a S. Canonibus, in Ecclesia vero veste talari & superpelliceo cum insignibus S. Wolfgangi incedant. V. Ut quilibet singulis Septimanis in Sacello D. Wolfgangi tria celebret sacra, & pro Benefactoribus oret. VI. Ut Horas Canonicas ita celebrent, ut Matutinum & laudes hora sexta, media nona Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, & hora tertia Vesperas ac Completorium in Ecclesia publice, vel privatim vel alternatim recitent. VII. Ut præter liberas Missas quilibet Canonicus *pro Congrua in fixo* accipiat ducentos quinquagintaflorenos. VII. Ut ex Ecclesiæ S. Wolfgangi redditibus facta testata hujus Collegii serventur. Hæc statuta non modo Frisingensis Episcopus die 10. Octob. Anno 1726. rata habuit, sed insuper indulgit, ut hi Canonici ab annuo Cathedratico exempti essent.

§. XXXIX.

*Dissensiones inter Præpositum & Wezlariensem Magistratum.*

Novam dissensionis flammam Wezlaræ suscitavit fanaticus tuendæ sectæ ardor: Illius occasio inde desumpta est: Fruebantur Catholici ibidem per plura sæcula plena Religionis